



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Tit. L. Ne Clerici Vel Monachi Sæcularibvs Negotiis Se immisceant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

exempla pia sint, vim tamen præcepti non habent; cum hujusmodi per Christum sublata sint, sicut constat ex c. un. sup. De purif. post part. Neque obest text. in cap. 4. De censib. lib. 6, ubi Ecclesiæ, personæ, & res Ecclesiasticæ à secularium personarum exactionibus exemptæ dicuntur, diuino jure, & quod tributum præstatio sit indicium subjectionis, per text. in cap. 2. sup. De censib. Nam, ut rectissime monet Covarr. Pract. quæst. cap. 31, nu. 2. vers. Tertio verò, sacri Canones, & Summi Pontifices frequenter vocant jus divinum, quod ex veteri lege deductum vel ad ejus imitationem est institutum. Exempla extant in c. Literas 13, vers. Porro sup. De restit. spol. & in c. 14. sup. De decimis & explicat elegantè Covarr. d. loco. Quo verò ad indicium subjectionis, illud tantum ad laicos pertinet, si- cut constat ex inscript. d. c. 2. De censib. August. super epist. ad Rom. Clerici enim idem tributum pendunt, ut in pace defendantur, & conserventur à Principibus sæcularibus, d. can. 12 q. 8. Quod autem attinet ad leges Civiles, quibus dicuntur Clerici ad ordinaria onera obligari, hæc per jus Canonicum sublata sunt, jurib. sup. adductis, cui

soli in personis, & rebus Ecclesiasticis stamus, c. Ecclesia S. Mariae 10, sup. De constit. & cap. fin. sup. De reb. Eccles. alien. vel non. Imò extat & constitutio Imp. Friderici II. quæ hujusmodi legibus aperte derogatum est, Auth. Item nulla communitas C. De Episc. & Cler.

Postremò hæc libet aditcere ex Panorm. ad d. 5 cap. 4. num. 20. quod, ubi necessitas vel utilitas principaliter simul concernit Ecclesias, puta quia hostis territorium civitatis, in quo & prædia Ecclesiastica sita sunt, depopulatur, etiam Ecclesiæ contribuere teneantur ad depellendum hostem, cum utriusque & Ecclesiarum & populi consensus accedit, quod enim omnes tangit, ab omnibus quoque comprobari debet, c. 1. in pr. De censib. in Clement. juu. cap. Quod omnes 29, De R. I. in 6. Neque hoc casu opus est auctoritate Romani Pontificis, cum versetur extra casum d. cap. 7. in pr. h. tit. secus autem ubi accessorij, uti accidit in excitandis aggeribus, vel aliis munitionibus, reficiendisve muris civitatis, per text. in d. cap. 4. in verbis, Sive quidem fossatam h. t. & ibid. latius Panorm.

IN TIT. L. NE CLERICI VEL MONACHI SÆCULARIBVS NEGOTIIS SE IMMISCEANT.

SUMMARI A.

1. Cuiusmodi negotiis Clerici se immiscere nequeant.
2. Medicina ac iuri civili incumbere cur ventur.

AD Clericorum ac Monachorum officium vel illud potissimum pertinet, ne sæcularibus se immisceant negotiis, juxta illud Apostoli 2, ad Timoth. 7. Nemo militans Deo implicet se negotiis sæcularibus. † Sive ea vitam sæcularem seu mundanam ducentium ferè propria sint, ut in deliciis vivere, gulam & ebrietatem sequi, injusta lucra aucupari, turpibus dictis aut factis jocularitatem agere, aliaque id genus, à quibus etiam laicos abstinere, & alienum esse decens sit, c. 1. h. t. sive laici quidem permittunt, verum interdicta omnino Ecclesiasticis: veluti iudicium sanguinis agitare, & iudicii criminalibus præesse aut adesse, consilium dando, testimonium perhibendo, sententiam dictando aut pronuntiando, c. 5. & a. panulc. h. t. sive denique negotia sint ad vitam tem-

porales & quotidianas necessitates sublevanda spectantia, non aliter permittunt Clericis, quàm quatenus per Canones licet: ut lites agere & persequi, d. c. 1. h. t. procuracionem aut administrationem bonorum Principis alicujus vel alterius laici suscipere, c. 2. & 4. h. t. ex negotiatio- ne seu mercatura lucrum quærere, non etiam agriculturam aut alio honesto artificio indigentiam suam sustentare, d. c. 1. in fine h. t. vide tot. dist. 88.

‡ Sic & vetantur Monachi ac Clerici, (præsertim dignitatem aliquam vel patronatum Ecclesiæ obtinentes, vel si presbyteri sint) Medicinæ aut Juri civili tamquam principali suo studio incumbere, c. 3. & ult. h. t. quia illorum proprium studium esse debet Theologiæ & Juris Canonici, nec nisi pro majori studio sui principalis progressu Juris civilis libros, Institutionesque privatim legere, publiceque audire possunt. Vide Panormit. & Boëtium Eponem ad d. c. 3. & ult. h. tit. V. A.